

allegandus et probandus est titulus, velut si Clericus extraneus contra Parochum, vel in aliena parochia diceret, se præscripsisse decimas.

413. *Dico III.* Ad præscriptionem immemoriam, id est, tanti temporis, cujus initium non est in hominum memoria, titulus præsumptus semper sufficit, nec unquam opus est allegare, vel probare alium; modo allegans tempus immemoriam sit ad præscribendum capax, et res ex se apta præscribi, sive non vitiosa sit.

Constat c. 1. *h. t.* ubi in fine additur: *Nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat.* Et vero magnæ sunt temporis immemorialis prærogativæ, inter quas hæc ipsa relata princeps est. Unde et præscriptio immemorialis nullo statuto a lege generaliter præscriptiones excludente comprehenditur, ut si addatur clausula: *Nulla præscriptione obstante.* Nihilominus

414. *Dico IV.* Corruit probabilis præscriptio tam extraordinaria, quam immemorialis, si re ad iudicem delata, constet de vitioso possessionis titulo et initio, ut si detegeretur, quod possessio inceperit titulo emptionis rei de jure non vendibilis, vel quocumque titulo alio invalido de jure.

Prob. Quia juxta Brocardicum commune: *Præsumptio cedit veritati*; ergo cessat tituli præsumptio, si vel nullum præcessisse constet, vel jure invalidum et vitiosum. Accedit sat clara juris dispositio, c. 31. *de Decim.* Unde et c. 4. *D. 8.* ait S. AUGUSTINUS: *Veritate manifestata cedit consuetudo veritati... nemo consuetudinem rationi et veritati præponat.* Insuper ratio est, quod sine fide theologice bona nulla procedat præscriptio, illa vero defuisset, si possessor titulo vitioso, possessionem inchoasset.

415. *Dices 1.* Jura in præscriptione extraordinaria præsumunt titulum, sive quis præcesserit, sive non; ergo. Imo leges civiles, velut *L. 3. 4. C. de præscr. 30. vel 40. annor.* approbant præscriptionem sine ullo titulo; modo adsit longissimum possessionis tempus; ergo.

R. ad 1^{um}. *N. Cons.* nam præsumptio procedit quidem, quam diu veritas latet, cessat autem, si constet de iniquitate, vel injustitia tituli.

R. ad 2^{um}. Vel eæ leges mitius interpretandæ sunt, de casu, quo errore juris inculpabili cœpta esset præscriptio extraordinaria, cum bona tamen fide theologica; vel si contendas, leges loqui de præscriptione cœpta cum mala fide theologica, standum contra contendimus jure canonico, omnem, ex dictis de bona fide, præscriptionem reprobante, quæ cum peccato fit.

Dices 2. Præscriptio immemorialis saltem parit præsumptionem juris et de jure: item purgat malam fidem; ergo non admittit probationem tituli injusti sibi contrariantis.

R. D. Ant. Quam diu non constat de injustitia tituli *C.* si constet *N. Ant. et Cons.* Tunc enim non est amplius præsumptioni locus; sed debet hæc cedere veritati.

Dices 3. In præscriptione extraordinaria præsumitur titulus absolute, ita ut, licet unus detegatur injustus, quo vitiose et cum mala fide cœpisset

præscriptio, præsumatur alius latens et idoneus; ergo nondum corrueat præscriptio.

R. N. Ant. quod sine fundamento asseritur, nec de hac præsumptione vestigium in ullo jure reperitur.

ARTICULUS V.

QUINAM? CONTRA QUOS? AC QUARUM RERUM DOMINIUM POSSINT PRÆSCRIBERE? ET QUO TEMPORE?

416. *Præmitto:* Ad præscriptionem insuper possessionem veram, vel quasi possessionem requiri, ex dictis hactenus liquet. Certum vero videtur, non sufficere possessionem naturalem tantum; si enim sola hæc sine civili sufficeret, possent duo, vel plures simul rem eandem præscribere, quod repugnat. Sufficit tamen *civilis* sine naturali; quia, si civilis sine naturali non sufficeret, vix aliquis unquam præscriberet; quia vix aliquis toto et tanto tempore, quod ad continuandam præscriptionem requiritur, possessionem naturalem continuat, sed solam civilem. Præterea satis convenit, tempus ad præscriptionem positivam computandum non esse de momento in momentum, sed de die in diem, *L. 15. ff. de divers. temp. act.* ubi: *In usucapione ita servatur, ut etiamsi minimo momento novissimi diei possessa sit res, nihilominus repleatur usucapio, nec totus dies exigitur ad explendum constitutum tempus.* Idem asserit *L. 6. et 7. ff. de Usuc.* Neque obstat *L. 6. ff. de O. et A. In omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus dies totus compleatur, non finit obligationem*; nam ea lex loquitur, ut vult ACCURSIUS, et cum eo potior Jurisconsultorum, de actionibus personalibus, quibus respondent obligationes, ut si intra constitutum tempus non egerit, e. g., si actio sit annalis et intra annum non egerit, totus adhuc ultimus dies sit actori utilis; quia sic adhuc intra annum agit, unde ut contra actionem præscriptum sit, necesse est dies totus effluerit. Hæc vero præscriptio, qua actio præscribendo extinguitur, est minus proprie talis, qua extinguitur jus alterius, ad quam *L. 6. cit.* requirit, ut tempus totum effluerit, quia quamdiu durat tempus constitutum, is agere potest.

417. *Dico I.* Præscribere possunt omnes, qui acquirendi dominii, vel juris capaces sunt. Est hæc regula generalis, et colligitur ex *L. 4. ff. de Usurp. et Usuc.*

Ratio est, quia usucapio est adjectio dominii, sive hujus acquisitio per continuationem possessionis tempore lege definito.

Dico II. Contra illas personas generaliter præscribi non potest, quæ non possunt stare in iudicio, agendo, jura sua tuendo. *L. 1. §. ne autem. C. de ann. except.* ubi: *Præscriptio non currit non valenti agere de jure.*

Ratio est; quia naturalis æquitas non patitur, ut ibi sit pœna, vel jactura, ubi nulla culpa et negligentia, nec potestas se in iudicio tuendi. Sic contra mulierem non currit præscriptio, si soluto matrimonio agat pro dote, a marito durante matrimonio alienata, quia durante matrimonio per leges agere non potuit pro dote, nisi unico in casu, quo scivisset, ob pro-

digalitate virum ad inopiam vergere. Sic contra annalem actionem injuriarum non præscribitur, esto, annus a die illatæ injuriæ elapsus sit, si injuria affectus non nisi ab uno alteroque mense ejus notitiam habuerit, quia prius agere non potuit.

418. *Dico III.* Præscribi non possunt res vitiosæ, sive laborantes vitio, aut inhabilitate a *natura sua*, ac generaliter, quæ in commercio humano, et privatorum bona non sunt; cum enim præscriptio sit acquisitio dominii, consequens est, præscribi non posse, quæ esse in dominio non possunt.

Res vero in hac materia vitiosæ a *natura* sunt

1^o. *Res sacræ* et religiosæ ad Dei cultum consecratæ, ut templa, cœmeteria, vestes sacræ, calices, etc. 2^o. *Res sanctæ*, sive sacræ analogice, h. e. quæ speciali sanctione defenduntur ab injuria hominum, ut jura, quæ habet Majestas particularis sibi intrinseca, velut jus supremæ advocatiæ Ecclesiæ, quod soli competit Majestati Cæsareæ. 3^o. *Res publicæ*, ut plateæ, pontes, forum, viæ publicæ. 4^o. *Quæ debentur principi* in recognitionem supremæ potestatis, et in signum subjectionis. 5^o. *Jura spiritualia* et Ecclesiastica a *laico*, secluso privilegio, possideri prohibita. 6^o. *Matrimonium* carnale, ita, ut evadant conjuges, qui propter impedimentum intercedens esse non possunt. 7^o. Quæ sunt *juris divini*. 8^o. *Liber homo*, ut fiat servus, §. 1. *Inst. de Usuc.* 9^o. *Res meræ facultatis*, ut sunt actus puræ liberalitatis, favoris, et amicitiae, ex merito arbitrio, vel precario positi, ut si quem sæpius invites ad convivium; molendinum unum frequentes præ alio; præcise in gratiam alterius ædificium tuum, cum jure posses, non tollas altius. Ubi tamen quoad actus hujusmodi

Observa, posse et in his præscriptioni aliquando locum esse, ut ex actibus facultativis fiant obligatorii; velut, si aliquando molendinum aliud adire voluisses, neglecto antiquo, quod alias frequentasti, sed ab hujus molitore interpellatus, vel prohibitus destitisses, rediens ad molendinum prius; aut si, cum velles tollere ædificium altius, sed obsistenti tum alteri acquievisse; sic enim te in obligatione putatitia, alterum in quasi possessione constituisses, qui et prohibitione sua, et tua acquiescentia, actum exercuisset possessorium, ac possidere contra te jus cœpisset, adeoque frequentatio molendini, omissio tollendi ædificium altius desinerent esse actus mere facultativi, sed fierent obligatorii.

419. *Obj. I.* Jus decimandi est spirituale; decimæ enim sunt pars decima fructuum Ecclesiæ ministris solvenda quotannis intuitu spiritualis ministerii: sed hoc jus a laicis præscriptione obtineri potest; ergo. *Min. prob.* 1^o. Laici enim sunt capaces juris patronatus, possuntque illud præscribere saltem tempore immemoriali; ergo multo magis jus decimandi; hoc enim fructus solum temporales respicit; jus patronatus vero est beneficium spirituale; est enim potestas nominandi, sive præsentandi Clericum ad beneficium Ecclesiasticum vacans. 2^o. Possunt laici acquirere jus decimandi per privilegium; ergo etiam per præscriptionem, saltem immemorabilem, utpote quæ inter prærogativas cæteras etiam ista gaudet, quod privilegio æquivalet. 3^o. Possunt 40. annis præscribere laici immunitatem a decimis; ergo et ipsum decimandi jus.

R. D. Maj. Jus decimandi nondum potestate legitima scilicet summi Pontificis separatim a spirituali officio *C.* jam separatim *N. Et D. min.* Jus hoc auctoritate Pontificis separatim potest acquiri præscriptione a laico *C.* secus *N.* Decimæ aliæ sunt *spirituales*, vel stricte Ecclesiasticæ, quæ ex institutione primæva dantur Ecclesiæ ministris ob spirituale ministerium; aliæ *laicales*, quæ quidem eodem ex fine institutæ; sed postea justa ex causa concessæ sunt laicis; eæque vel laicales *simpliciter*, si solum jus utile decimandi, seu jus fruendi utilitate et commodo decimarum transferatur in laicos, jure directo vel radicali exigendi decimas ex jure spiritualis ministerii retento penes Ecclesiam, vel *pure laicales*, si et ipsa proprietas transferatur in laicos; utroque modo nunc solus S. Pontifex post Concilium LATERANENSE III. anno 1179. transferre potest, cum alias ante illud quoad dominium utile eas transferre posset etiam Episcopus; sic vero translata, et quatenus *secularizata* a laicis tantum præscribi possunt. Et tales dicendæ sunt decimæ, quæ passim in Germania possidentur a nobilibus, utpote quæ primitus legitime separatæ, postea per contractus onerosos ab uno transierunt ad alium.

Ad prob. 1^{am}. *R. C. Ant. N. Cons.* Quia jus patronatus jam concessum est laicis simpliciter, ut hujus pro semper capaces sint, ut constat ex *c. 1. 7. 10. 23. h. t.* nimirum ut laici allicerentur ad fundandas et dotandas Ecclesias. Secus est de jure decimandi.

Ad prob. 2^{am}. *R. N. Cons. prob. D.* Æquivalet in iis rebus, quæ quis possidere capax est *C.* in aliis *N.* At laici, secluso privilegio, quo redditus essent habiles, non sunt capaces juris decimandi, si decimæ nondum separatæ sint.

Ad prob. 3^{am}. *R. N. Cons.* Jus exigendi decimas nondum legitime separatim, spirituale est, radicatum in ministerio spirituali; jus contra immunitatis temporale; ergo possunt laici hoc, non illud præscribere.

420. *Obj. II.* Possunt præscribi actus meræ facultatis; ergo. *Prob. Ant.* 1^o. Jus ad beneficium Ecclesiasticum præsentandi, agendi contra alium in judicio, petendi legatum, adeundi hæreditatem et similia sunt actus et res meræ facultatis: atqui tamen jura hæc præscriptione tolluntur. 2^o. Præscribitur juxta nos, *Art. II. num. 393.*, lapsu 30. annorum debito personali indefinite contracto, si creditor intra illud tempus non exigat solutionem: sed omissio exactionis est actus meræ facultatis, et liberæ voluntatis. 3^o. Actus facultativi *affirmativi* (qui eo tendunt, ut, si locum haberet præscriptio, jus aliquod acquiratur præscribenti, ut accedendi certum molendinum, exigendi quid vel actionem ab alio, etc. *Negativi* contra, ut jus alterius, tollendi aliud ædificium, etc. extinguatur) multis annis repetiti se solis pariunt jus agendi aliquid, vel exigendi ab altero, etsi etiam non intercesserit prohibitio aut præsentio ex parte unius, et acquiescentia alterius, ut ostendunt variæ *Decis. Rotæ*, *Klock. Tom. 1. Consil. 29. LAYM. Th. mor. L. 3. Tr. 1. c. 8.* aliique, saltem si tempus immemorabile faveat.

R. N. Ant. Ad prob. 1^{am}. *R. N. M.* licet enim in arbitrio patroni sit, præsentare vel non; Petrum, vel Paulum; item in libertate creditoris agere in judicio, vel non, etc. si præcise præsentationis, actionis, etc. factum attenditur; non est tamen in eorum ac similium arbitrio, præsentare, agere quocumque tempore; sed jura hæc post lapsum temporis jure definiti ex illius

dispositione tolluntur, utpote quod actiones ejusmodi certo vult tempore poni.

Ad prob. 2^{am}. R. N. min. sed potius remissio debiti præsumitur, sicut in simili casu non exactarum usurarum dicitur, *L. 17. ff. de usur.* Præterea etsi omissio exactionis sit actus voluntatis liberæ; post lapsum tamen certi temporis, jure sic disponente, omissio illa fit obligatio.

Ad prob. 3^{am}. R. N. M. quod se solis, præciso omni alio, sufficiant. Sed si habeatur per longos annos continuatio actuum, præsertim per tempus immemorabile, inducitur præsumptio possessionis et juris ex parte unius; obligationis autem ex parte alterius, quia alias, generaliter loquendo, homines actus ejusmodi suum in præjudicium positos non solent tolerare, nisi ex parte sua sit obligatio, et jus ex parte alterius tales actus exercendi.

421. *Dico IV.* Præscribi neque possunt res vitiosæ ex jure positivo tales, sive laborantes inhabilitate legali, ut sequentes,

1^o. Res *furtivæ, vi possessæ*, vel contra *L. Juliam repetundarum*, h. e. quas magistratus, judex, vel alius officialis publicus acceperunt hoc fine, ut facerent id, ad quod alias jam vi muneris erant obligati. Excipe tamen 1. casum, quo vitium fuisset purgatum, ut si res furtiva prius redierit ad dominum, ac deinde rursus ad alium bonæ fidei possessorem; aut si accepta contra dictam *L. Juliam* redierit prius ad dantem, ejusve hæredem. 2. Quod res furtivæ a bonæ fidei possessore, ut emptore, licet ab hoc tempore ordinario non præscribantur, possint tamen præscribi tempore extraordinario, *L. 3. et 4. de Præscr. 30. vel 40. ann.* tot enim annorum lapsu etiam, dispositione juris, vitium purgatur.

2^o. Limites diocesium, parochiarum, regionum certie t manifesti, *c. 3. 6. Caus. 16. Q. 3. c. 3. de Paroch.*

3^o. Jus visitandi Episcopis competens, quando præscriptio tenderet ad omnis visitationis extinctionem, *c. 12. 16. h. t.* quia talis præscriptio tenderet in damnum animarum. *Dixi*: quando præscriptio ad omnis visitationis extinctionem tenderet; nam et hic præscriptioni locum esse, quæ jus visitandi transferat, vel alteri accumulet, satis inter auctores convenit; quia hæc nullo jure prohibetur; nec vergit in animarum damnum, si duo cumulative, vel alternative habeant jus visitandi. Porro præscribi nequit contra jus Episcopi, quod habet exigendi procurationem, sustentationem pro tempore, quo visitat, *c. 16. cit.*

4^o. Bona adventitia liberorum, quorum ususfructus est penes patrem, sic quidem, ut illis bona hæc vindicantibus nullius temporis obstet exceptio, nisi inchoatum fuerit, postquam liberati fuere a patria potestate, *L. 1. C. de ann. Except.* Huc quoque pertinent res pupillorum, contra quos tota durante ætate pupillari nulla currit præscriptio, *L. 3. C. de Præscr. 30. vel 40. ann.* Item res *minorennum* sub potestate curatoris tametsi præscriptione ordinaria capi non possint; possunt tamen extraordinaria. *L. 3. C. quib. non obj. long. temp. Præscr. L. fin. C. in quib. Caus. restit. in integr. necess. non est.*

5^o. Fundus dotalis, ab eo scilicet tempore, quo talis factus est. Quoad res dotales mobiles, si eas vindicare voluerit mulier, huic etiam in his non obstat exceptio, sive sit major, sive sit minor decennali, *L. 30. C. de Jur. Dot.* Verum accipiendum hoc de præscriptione temporis, quo mulier uti

non potuit actione hypothecaria contra mariti bona, nam ubi agere potuit, contra illam præscriptio curret etiam ordinaria.

6^o. *Universim res alienari prohibita sine forma et conditionibus a jure præscriptis*, ut res feudales, ecclesiasticæ, primogenituræ, fideicommissa. Intellige de præscriptione ordinaria; extraordinaria enim posse eas res, imo ecclesiasticas male alienatas, et feuda indebite alienata præscribi, videtur probabilius; nam 1. Res Ecclesiæ sunt absolute præscriptibiles, *c. 4. 6. 8. h. t.* nunquam verò, vel admodum raro essent præscriptibiles, si præscribi non possent in casu malæ alienationis. 2. Quoad feuda. 2. *Feud. 26. §. 4.* absolute conceditur feudorum præscriptio; ergo saltem extraordinarie præscribi possunt. 3. De fideicommissis colligitur ex *L. penult. §. 3. Commun. de legat.* tum inde, quod in fideicommissis abolita tantum sit præscriptio longi temporis, *L. pen. cit.* ergo adhuc procedet præscriptio temporis longissimi, hac tamen limitatione: dum præscribuntur res fideicommissis subjectæ contra unum, ideo non præjudicetur agnatis remotioribus.

422. *Obj. I.* Ecclesiæ gaudent jure pupillorum, *arg. c. 1. de Rest. in integr.* sed res pupillorum male alienatæ præscribi nequeunt.

R. *D. M.* In quibus est eadem ratio Ecclesiarum, quæ in pupillis *C.* in aliis *N.* Res pupillares durante solum ætate pupillari præscribi nequeunt, et sic quidem est par ratio cum Ecclesia; nam præscriptio contra hanc dormit, quam diu Ecclesia caret Rectore, vel ei præest Prælatum male alienans, quia tunc quasi pupilla censetur, patre ac pastore carens, sed in aliis Ecclesia disconvenit, cum hujus res absolute præscribi possint, *c. 4. 6. 8. cit.*

423. *Obj. II.* Mala rerum Ecclesiasticarum alienatio est prohibita et irritata; ergo etiam illarum præscriptio; quia *L. 28. pr. ff. de V. S. Alienationis verbum etiam usucapionem continet. Conf. ex c. 2. de reb. Eccl. alien. vel non.* ubi dicitur, quod alienatio rerum Ecclesiæ indebite facta, nec jus aliquod tribuat, nec præscribendi causam paret.

R. *D. Cons.* Ergo etiam illarum præscriptio ordinaria *T.* extraordinaria *subd.* si præscribens contraxit mala fide, ut, quando tam hic, quam alienans scienter omisit solemnitates præscriptas *C.* secus *N.*

Si ais: Præscriptionem malæ fidei fuisse jam reprobata ante, *c. fin. h. t.*

R. Idem posse sæpius prohiberi in jure.

Ad Conf. Sermo est de præscriptione malæ fidei, quando scienter solemnitates omissæ sunt.

424. *Obj. III. 2. Feud. 30. et 33.* alienationes rerum feudalium adeo irritantur, ut nullius temporis præscriptione convalescant; ergo.

R. Videtur hic rejici a FRIDERICO Imperatore præscriptio, dum initio feudum mala fide alienatum fuit et possessum, sicque soli innixa lapsui temporis, unde subdit: *Quia quod ab initio de jure non valuit, tractu temporis convalescere non debet*, in quo juris canonici potius conditores sequi, quam suos antecessores maluit. Respondent alii, tantum reprobari præscriptionem ordinariam.

425. *Obj. IV.* Etiam actioni pignoratitiæ directæ et juri luendi pignoris non potest præscribi; ergo non solum res supra recensitæ a præscriptionis lege eximuntur.

Prob. Ant. 1º. Luitio pignoris est actus meræ facultatis; sed contra hos non datur præscriptio; ergo. *Min.* deducitur ex *L. 2. ff. de via publ.* et *L. 26. ff. de damno inf. cum. not. Gothofr.*

2º. Non valenti agere præscriptio non currit per *L. 7. C. de Præscr. 30. vel 40.*; atqui ante solutionem non potest agere debitor ad repetendum pignus, *L. 9. §. 3. ff. de pignor. act.*

3º. Actioni nondum natæ præscribi nequit per *L. 1. §. fin. C. de ann. except.* quod enim non est, tolli non potest: atqui pignoratitia actio directæ, debito toto nondum expuncto, nondum est nata, *L. 9. §. 3. de pign. act.*; ergo.

4º. Creditor in dato casu destituitur requisitis ad præscribendum necessariis; nam 1. non habet *possessionem*; non enim *sibi*, sed debitori possidet, *L. 13. ff. de Usurp. et Usuc.* ubi diserte ait PAULUS Jurisconsultus: *Pignori rem acceptam usu non capimus, quia pro alieno possidemus.* 2. Neque habet *titulum*; pignus enim non est causa habilis ad usucapionem, *L. 1. 15. ff. qui satisdar.* neque sine facto extrinsecò hanc possessionis causam creditor sibi mutare potest, *L. 32. §. 1. 4. ff. de Usurp.* 3. demum non *bonam fidem*; quia creditor scit, rem esse debitoris; ergo.

5º. Et maxime omnis præscriptio debet præscribenti aliquid afferre commodi; vel quod acquirat aliquid; vel se liberet ab aliquo debito; sed creditor ita præscribens juri luendi pignus nihil acquirit commodi; *prob. min. 1º.* enim non se liberat a debito aliquo, quia creditor nihil debet: 2º. Nec aliquid acquirit; *prob. hoc.* si aliquid acquireret; ergo vel ipsum pignus; vel quod præscripserit actioni pignoratitiæ, quia a vinculo pignoris res liberata est; sed neutrum dici potest: *non primum*; quia pignus non possidet possessione civili, sive animo illud habendi sibi, nec suo nomine, sed alieno; idque satis evincit argumentum prius; *non secundum*; quia, cum debitor maneat dominus pignoris, etiamsi creditor præscripsisse dicatur actioni pignoratitiæ, poterit debitor rei vindicatione repetere pignus; ergo revera nihil habebit commodi creditor. Ante responsionem

426. *Observe:* In hac controversia, quæ Jurisconsultos inter se admodum disjungit, ante omnia necessariam esse status quæstionis notitiam. Non hic quæritur de pignore materialiter sumpto, sive ipsa re pignori data, an post lapsum 30. annorum hujus dominium acquirat præscriptione creditor. Certum enim est omnibus creditorem præscriptione pignoris dominium non acquirere, ex defectu possessionis civilis, ac bonæ fidei, cum pignus non possideat animo habendi sibi, nec nomine suo, sed debitori et nomine alieno, quod constat ex legibus allatis arg. IV. Et si possidere vellet possessione civili, hoc ipso malæ fidei possessor esset; sed istud solum quæritur, an creditor post lapsum 30. annorum præscribat *actione pignoratitia directæ* contra debitorem, ita ut hic post. 30. annos vi hujus actionis non possit repetere pignus, sicque in eo cesset jus luendi pignoris? Nimirum ex contractu pignoratitio duplex actio pignoratitia nascitur. *Directæ*, quæ debitori ejusque hæredibus competit contra creditorem ejusque hæredes, ut pignus integrum cum omni causa, nempe fructibus et accessionibus restituat, si-

mulque compenset damnum pignori sua culpa illatum; si tamen debitor *ex toto* solverit debitum; vel non supervenerit debitum novum: *Contrariæ*, quæ vicissim creditori, hujusque hæredibus contra debitorem et hujus hæredes datur, ut ratione pignoris servetur indemnis. Sed de *directæ*, ut ex dictis liquet, hic disputatio est; quæ sola difficultatem movere potest.

R. N. Ant. cum BACHOV. WESENBEC. FRANZ. PICHLER., contra complures alios; quia generaliter actiones personales omnes 30. annorum lapsu, si intra hoc tempus non moveantur, dicuntur extinguere, *L. 1. C. de ann. except. L. 3. C. de Præscr. 30. vel. 40. ann.* Actio autem pignoratitia directæ nusquam reperitur excepta. Unde

Ad Prob. 1ºam. *R. N. Ant.* Quia luere pignus continet jus deducibile in iudicium, et actionem *civilem* annexam, quam leges volunt proponi intra 30. annos, adeo, ut si intra hoc tempus omittatur, extincta sit, ut in debitore tunc jus cesset luendi pignoris.

Ad Prob. 2ºam. *R. D. M.* Si non valeat agere ob impedimentum juris, præscriptio non currit *C.* si ob impedimentum duntaxat facti *N.* Potest debitor, quando voluerit, spectato jure agere ad restitutionem pignoris, si modo solutionem offerat; si veroolvere nolit, vel non possit, impeditur quidem agere; hoc vero impedimentum non a jure sed facto proprio provenit, quod præscriptionem ipsam non impedit.

Ad Prob. 3ºam. *D. min.* Nondum est rata in se *N.* Quoad executionem, h. e. jus agendi impeditur, quamdiu per solutionem integram non expungitur debitum *C.* Ut primum traditum est pignus, etiam in se nata est pignoratitia actio, licet quoad executionem ante expunctionem debiti maneat impedita et quasi suspensa, h. e. proponi non permittatur in iudicio. Favet responsioni *L. 1. ff. de O. et A.*

Ad prob. 4ºam. *R.* Qui ita objiciunt, vel statum quæstionis non penetrant, vel eum deserunt; non enim hic quæritur de pignore ipso; nec dicimus, pignus ipsum a creditore præscribi; sed tantum actioni pignoratitiæ, ut in debitore cesset jus luendi pignoris.

Ad prob. 5ºam. *R.* Acquirat hoc, quod se liberet ab actione pignoratitia, cum illa sic extinguatur in debitore, per quod huic non leve enascitur præjudicium; si enim is instituere posset actionem pignoratitiam, sola ipsi oppignoratio probanda esset; at si agere velit rei vindicatione ut dominus, ipsum probandum est dominium, quod sæpe perdifficile. Porro in hac præscriptione, cum privativa sit, non requiri possessionem positivam, neque illi obesse scientiam juris alterius, constat ex dictis de *bona fide* et hucusque alias.

427. *Dico V.* Circa tempus ad præscribendum requisitum tenenda sunt sequentia:

1º. *Res mobiles*, privatorum, tam pretiosæ, quam aliæ, cum titulo, præscribuntur triennio, §. 1. *Inst. de Usuc.* Ubi corrigitur jus antiquum, quo ad acquirendum rerum earum dominium sufficiebat annalis exceptio; sine titulo autem non nisi annis 30. quia regula generalis est, *sine titulo nunquam præscribi tempore ordinario.* Porro sufficere etiam triennium, ut præscribantur res mobiles Ecclesiæ, saltem Romana inferioris, communis est Civilistarum, et multorum Canonistarum sententia, ex *Auth. quas actiones.*

c. de SS. Eccles. Quin de mobilibus Ecclesiæ Romanæ idem asserit LUGO, styli Romani non ignarus.

2^o. *Res immobiles*, siquidem sint *profanæ*, de jure communi cum titulo contra præsentis decennio, contra absentes 20. annis præscribuntur, *L. 12. C. de Præscr. long. temp.*

3^o. Ad præscribenda immobilia *Ecclesiæ romanæ* requiruntur anni 100. *Auth. quas actiones cit.* At vero *Ecclesiæ inferioris* Romanæ, aliorumque locorum piorum, cum vel sine titulo non nisi annis 40. *c. 4. et 6. h. t.* Per privilegium vero, teste ENGELIO a R. Pontifice concessum Ordini Cisterciensi in Germania contra ejus bona 100. anni requiruntur, quod communicasse fertur Ordini mendicantibus singulis LEO X. Similiter EUGENIUS IV. Ordini S. Benedicti sexagenariæ præscriptionis concessit privilegium. Forte his privilegiis nihil, nisi usus et praxis deest.

4^o. Ad præscribendum *contra civitatem* requiruntur anni 100., *L. 23. C. de SS. Eccles.* Idem est de bonis Principis qua talibus, regalibus, neque enim principatus deterioris esse conditionis debet quam civitas.

5^o. *Beneficia Ecclesiastica* juxta reg. 33. Cancellariæ Apostolicæ præscribuntur triennio sub octo conditionibus in regula expressis, 1. si adsit bona fides; hæc enim cum ubique requiratur de jure canonico, hoc ipso regulæ inest tacite. 2. Ut possideatur. 3. Ut, qui possidet, possideat pacifice, h. e. sine lite. 4. Possessio sit continuata per triennium. 5. Ut sit beneficium ecclesiasticum proprie tale. 6. Ut sit possessio cum titulo colorato. 7. Ne ingressus possessor sit simoniace. 8. Ne intrusus. KRIMER.

6^o. *Bona vacantia* præscribuntur contra fiscum secularem annis 4., contra Ecclesiam, annis 40., *L. 1. C. h. t.* Bona debita fisco et delicto, annis 5., *L. 2. C. de Vectig. et Commiss.*

7^o. *Servitutes personales*, ut usufructus, reales continuæ præscribuntur ut res immobiles quoad tempus, ac probabiliter idem de discontinuis tenent HARPRECHT. STRUV. SCHMIEB. alique contra alios. Favet huic sententiæ, *L. ult. C. de Præscr. long. temp.* qua servitutes, sine distinctione inter continuas et discontinuas, dicuntur præscribi longo tempore.

8^o. *Actiones reales* præscriptione extinguuntur ejusdem temporis, quo vel res, mobiles, vel immobiles, aut jus reale in quo fundantur. Actio tamen *hypothecaria*, si hypotheca vel pignus possidetur a debitore, ejusve hærede, non nisi 40. annis a die, quo erat solvendum debitum, extinguitur contra creditorem, *L. 7. C. de Præscr. 30. vel 40.* si vero possidetur ab alio tertio cum titulo, 10. vel 20. annis, sicut res immobiles, *L. 1. 2. C. si advers. Cred. præscr. oppon.* si sine titulo, annis 30. Similiter *petitio hæreditatis directa*, quoniam præstationes personales sibi admixtas habet, annis 30., *L. 7. C. de petit. hæred.* Ac præterea *querela inofficiosi testamenti* ab adita hæreditate finitur annis 5., *L. 4. C. de inoff. Testam.*

9^o. *Actiones personales* regulariter de jure communi perimuntur 30. annis, *L. 3. 4. C. de Præscr. 30. vel 40.* Dixi: *Regulariter*: nam *actio redhibitoria*, quæ competit emptori contra venditorem rei vitiosæ, ut, reddito pretio, rem venditam iterum habeat sibi, expirat lapsis 6. mensibus a die, quo emptori innotuit rei emptæ vitium; et *actio quanti minoris* qua emptor excessum pretii repetit a venditore, post annum unum. Porro *actio quod metus causa* contra minorem anno uno durat.

Quo tempore præscribatur immunitas a solvendis censibus, scilicet præstationibus annuis, vel mensuris, paulo majoris momenti est controversia, pro qua sit

ARTICULUS VI.

AN PRÆSTATIONIBUS ANNUIS SIMUL ET SEMEL PRÆSCRIBATUR TRIGINTA ANNORUM LAPSU? AC DEMUM QUID SIT PRÆSCRIPTIONEM CURRERE, DORMIRE, INTERRUPTI?

428. *Præmitto*: Non istud hic in controversiam venit, an spatio 30. annorum acquiri possit jus præscriptione exigendi et accipiendi præstationes ejusmodi ab alio, cum plerisque satis certum sit, quod acquiri possit, eo quod præscriptioni longissimi temporis subdantur jura singula, *L. 3. 4. C. de Præscr. 30. vel 40. ann.* Sic et præstitis per 30. annos servitiis acquiri feudum, patet exemplo 2. *Feud. 26. §. 4.*

Sed istud hic movetur, an præscribi possit 30. annis immunitas a præstationibus annuis tam præteritis, quam futuris? Status quæstionis elucet ex subjecto casu: Obligatus es ex contractu, vel ultima voluntate singulis annis Caio solvere 100., solutionem istam intermisisti per annos 30. complétos, bona fide existimans, te ad nihil solvendum obligatum esse. Inde quæritur, an una præscriptione præscriperis pensionibus omnibus præteritis, et una obligationi eas in futurum præstandi? Vel utrum præscriperis tantum lapsu 30. annorum præstationi tui, faciendæ ante 30. annos, remanente adhuc obligatione ad alias tum post 30. annos adhuc futuras, tum intra illos 30. annos elapsos non solutas, v. g. hic annus præsens est trigesimus, quo bona fide non solvisti, an tenearis solvere pro anno præterito et aliis, eo quod pro harum extinctione nondum habeantur anni completi 30. ad complendam præscriptionem requisiti? Mirum quam præsens controversia inter se collidat Doctores! Et vero, uti frequentis est usus, ita in se ipsa intricata est.

429. *Dico*. Præstationes annuæ tam futuræ quam præteritæ simul et semel, sive præscriptione unica 30. vel 40. annorum extinguuntur. HAU-NOLDUS, de CLINGENSPERG, SCMALZGRUBER, PICHLER, alique contra alios.

Prob. I. ex jure civili. L. 20. C. de usuris. JUSTINIANUS rescribit, spatio 30. vel 40. annorum extingui non tantum sortem, sed etiam usuras annuas, præteritas et futuras, ac simul Imperator fundamentum, ex quo Adversarii dicunt, distinctas actiones singulis annis nasci, ibidem penitus evertit: *Principali enim actione non subsistente satis supervacuum est super usuris, vel fructibus adhuc judicem cognoscere*: unde infero: ergo etiam sicut *juri*, quod ad exigendas præstationes annuas est constitutum, præscribitur 30. vel 40. annis per textum generalem, *L. 3. 4. C. de Præscr. 30. vel 40. ann.* ita, jure hoc ceu principali et radice non amplius subsistente; consequenter præstationibus omnibus præscribitur, non nisi dependenter a tali jure debitis.

Prob. II. ex jure canonico: juxta hoc *c. 4. et 6. de Præscr.* Præscriptione quadragenaria extinguitur obligatio solvendi quartam decimarum Epi-